

posteriore enim, tantum obtinebitur secunda intentione, quantum prima, ad quam ex. gr. ob stipendum celebratur. In priore, sacerdos promittit se extensum esse fructum impetrationis ad hanc alteram intentionem et eidem applicaturum esse fructum satisfactorium, sub condicione quod is cui illum ob primam intentionem applicaturus est, jam eodem non indigeat. (Lugo, l. c. n. 257) Sentiant multi AA. (Scavini, III. n. 196; Lehmk. l. c.) eum qui stipendum dedit semper velle ut si is pro quo Sacrum petiti sit incapax, fructus sibi alterive amico suo cedat. Quidquid de tali voluntate opinemur, practice licebit fructum speciale alii applicare sub condicione quod omnino salva sit stipendum dantis intentionis.

### § 3. DE APPLICATIONE FRUCTUUM MISSAE.

**219. I.** Potestas applicandi fructus Missae ab ipso Christo confertur sacerdoti, ideoque inest characteri sacerdotali. Patet ex ordinationis verbis : " Accipe potestatem offerendi sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis. , Hinc fructus sacrificii, saltem quatenus a Christo proveniunt (n. 216), ita sunt in potestate sacerdotis, ut ab isto solo pendeat valor eorum applicationis, perinde ac validum exercitium reliquarum facultatum quas circa sacramenta accipit. Ecclesia tamen hanc applicationem quandoque illicitam efficit, puta cum prohibet ne Missa celebretur pro excommunicato vitando.

Fructus specialissimus, ex ipsa rei natura, contingit celebranti ; fructus generalis datur omnibus fidelibus per intentionem, quae semper supponenda est sacerdoti, celebrandi juxta Ecclesiae mentem, pluribus locis sacrae liturgiae expressam. In praxi igitur unice curandum est de intentione, qua applicetur fructus specialis.

**II.** Ut valide applicetur alicui personae de se capaci fructus specialis, requiritur et sufficit ut applicatio fiat :

1º Per intentionem saltem habitualis. Haec sufficit : siquidem applicatio fit per modum donationis. (S. Alph. n. 335) Hinc valide applicatur fructus ei cui sacerdos eum antea applicare intendit, modo eam non mutaverit sciens volens. Quodsi, immemor prioris intentionis, alteram elicuit, fructus sequetur intentionem magis universalem et absolutam. Ex. gr. si hodie elicio intentionem applicandi crastinum Sacrum Petro, etiamsi ex obliuione pro alio applicaturus sim, cras vero applico pro Paulo, Sacrum proderit Petro pro quo elicita est intentionis universalior et revocatoria intentionis posterioris. Quodsi intentiones contrariae aequales sint, puta dum hodie intendo applicare Petro et cras, rei immemor, aequa absolute applico Paulo, videtur

praevalere haec posterior, quae actualis erit tempore applicationis dum prior mere habitualiter persistit. (Lugo, de Saer. in gen. disp. 8. n. 121 seqq.) Practice, cum saepe dubium sit quae intentio praevaluerit, celebretur alterum Sacrum ad intentionem cui nondum satisfactum esse Deus norit.

2º Per intentionem qua determinetur una vel plures personae aut fines. Nihil enim efficitur per intentionem, quae postulet aliquod complementum ut versetur circa rem determinatam, puta : " Celebro pro eo cui Deus fructum dare voluerit, celebro pro uno e decem qui mihi eleemosynam dederunt, „ nullo etiam implicite determinato. Non requiritur tamen ut sacerdos explicite norit pro qua persona vel ad quem finem celebret. Hinc plane sufficit ut velit applicare secundum ordinem certum, sed ignotum vel obliuioni datum, puta quem intendit Superior, quem ipse initio mensis adnotavit, etc. Ubi autem satisfaciendum est pluribus intentionibus desumptis ex aliquo cumulo, puta propter stipendia accepta e capsula exposita ad eleemosynas Missarum colligendas, celebrare poterit sacerdos ad intentionem dantis. Hic enim habet intentionem, saltem implicitam, ut singuli conferentes accipient pro rata pecuniae collatae et juxta ordinem temporis quo contulerunt : nam aequum est ut qui prior est tempore, potior sit jure. Integrum quoque erit celebranti singulas Missas applicare omnibus qui pecuniam contulerunt, pro rata eleemosynae : siquidem cum fructus Missae sit divisibilis, celebratis omnibus Sacris requisitis, erit cuique suum. (S. Alph. n. 335 ; Gury, II. n. 356 seqq.)

3º Saltem ante consecrationem alterius speciei. Nam sacrificium, perinde ac sacramenta, effectum suum *ex opere operato* producit, dum conficitur et actu exsistit ; neque est in potestate ministri effectum suspendere et postea alicui applicare. Igitur, peracto per alteram consecrationem sacrificio (n. 213), frustra intentio eliceretur. (Laymann, l. 5. tr. 5. c. 2. n. 12 ; Bus. ap. S. Alph. l. c.)

**220. III.** Si sacerdos nullam intentionem tempore apto elicuit, probabilius fructus specialis obvenit celebranti et aliis pro quibus offert : nam semper videtur habere hanc intentionem ut fructus quem nulli alii determinato applicat, obtingat iis pro quibus generaliter offert, sicut patet e verbis offertorii : " Offero tibi pro innumerabilibus peccatis etc. „ Quare non probatur illa obligatio quam quidam (Billuart, diss. 8. a. 4 ; Gury, II. n. 354) adstruunt, semper faciendi determinatam intentionem in celebrando, ne fructus specialis maneat in thesauro Ecclesiae et sic minus utilis evadat. Praestat tamen talem intentionem elicere, quia minor erit impetrationis fructus, si nihil peculiare a Deo petitur. (Lugo, disp. 19. n. 227 seqq.)

**IV.** Sacerdos, prout est *privata persona*, potest applicare quibuslibet hominibus vivis vel defunctis fructum impetrationis vel satisfactionis, quem ex opere operantis in sacrificio percipit : nullo enim jure id prohibetur. Patet hic supponi in recipiente capacitatem, quae in damnatis quoad omnia, in peccatoribus quoad satisfactionem deest. Quatenus vero, ut *persona publica*, applicat fructus oriundos a Christo et Ecclesia, praeter eos qui prorsus incapaces sunt, excludere debet eos pro quibus Ecclesia Missam celebrare vetat. Tales autem inter catholicos nulli alii esse videntur quam excommunicati vitandi. Cfr. n. 582.

**221. V.** Pro acatholicis baptizatis, haereticis vel schismaticis, regulariter non licet **Sacrum celebrare**. Ratio patet e Jure Canonico, quo communicatio in sacris cum acatholicis prohibetur (Vol. I. n. 198), atque e Jure naturali, saltem quotiens de hujusmodi applicatione publice constat, et periculum est ne in fidelibus foveatur falsa et periculosa opinio, in sectis heterodoxis aequa atque in Ecclesia catholica Deo serviri animamque salvari posse. Idem tamen licet in quibusdam casibus :

1º Missa *privata* celebrari potest pro acatholici conversione, ita ut sacerdos fructum speciale pro spirituali ejus salute applicet ; non licet tamen nomen acatholici publice denuntiare, ne scandalum generetur. (Aichner, Comp. Juris Eccl. § 51) Quodsi stipendium ab acatholico offeratur ut pro eo celebretur, non licet accipere, nisi constet eleemosynam ab ipso offerri ad impetrandam conversionem ad veram fidem. (S. Inqu. 19 Apr. 1837 ; Coll. P. F. n. 877)

Non licet Missam offerre pro illis qui in manifesta haeresi mortui sunt, etiamsi hujusmodi applicatio nota esset tantum sacerdoti et ei qui dat eleemosynam. (S. Inqu. 7 Apr. 1875 ; Coll. P. F. n. 891) Attamen probabile est (Aichner, l. c. ; Lehmk. II. n. 176) licite celebrari Missam privatam, et absque publica denuntiatione, pro heterodoxo qui cum indicis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae obierit. In quo casu tamen abstinentum esset a speciali oratione liturgica pro hoc defuncto recitanda, qualis in Missa pro die obitus reperitur : id enim pertinet ad publicam communicationem. Etiam qui nullatenus admittunt Missam pro defuneto acatholico celebrari posse (ut Marc. Inst. Alph. n. 1601), turgent sacerdotem posse accipere stipendium quod forte detur ad celebrandum pro tali defuncto, dummodo declarat sibi tantum licere Missam applicare omnibus fidelibus defunctis cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo.

2º Missae *sollemnes* nonnisi pro principibus regnantibus celebrari permittuntur, et quidem sub eo tantum respectu quod fiant pro regnante et pro reipublicae prosperitate. Pro defunctis autem, etiam principibus, numquam licent, ut pluries S. Sedes decrevit. Rationem dedit Greg. XVI,

in Brevi ad Episc. Augustan. 16 Febr. 1842 : " Veteri ac nova disciplina interdictum est ne homines in externa notoriaque haeresum professione defuncti catholicis ritibus honorentur. „ Haec tamen prohibitio, cum ad disciplinam perlineat, quandoque tolli posset per R. P. dispensationem, dummodo opportunis declarationibus removeretur periculum fovendi indifferentismi religiosi.

**VI.** Infidelibus viventibus applicare fructum speciale licet, etiam accepto stipendio, " dummodo non adsit scandalum ac nihil in Missa specialiter addatur et constet nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse. (S. Inqu. 12 Jul. 1865 ; Coll. P. F. n. 888)

Pro catechumenis sive viventibus, sive vita functis, licite Missa offeratur. (Aichner, l. c. nota 7)

**222. VII.** Missa applicari potest **animabus in purgatorio detentis**, ita ut satisfactio ipsis prosit *ex opere operato*. (n. 216)

Attamen non infallibiliter applicatur ille fructus satisfactionis animae pro qua sacerdos celebravit. Nam fieri potest ut Deus, ob culpas ejus praeteritas iratus, juste nolit ipsi prodesse ea quae in ejus favorem offerantur, quemadmodum viventibus, ob eamdem rationem, quandoque denegat gratias quae pro ipsis postulantur. Id videtur erui e praxi Ecclesiae, saepissime et diutissime Sacrum pro eadem anima iterantis. Congruit quoque cum distinctione qua S. C. Ind. 28 Jul. 1840 (Deer. Auth. n. 283) mensuram indulgentiae altaris privilegiati explicavit : " Si spectetur mens concedentis et usus clavum potestatis, intellegendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis ; si vero spectetur applicationis effectus, intellegendam esse indulgentiam, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet. „ Attamen, quo citius et plenius oblata satisfactio a Deo huic animae applicetur, plurimum juvat ipsum Missae sacrificium : nam fructu impetratorio et propitiatorio, qui etiam prodesse possunt animabus purgatorii, obtineri poterit ut Deus justam iram remittat, vel ut alios fideles excite qui pro eadem anima precentur et opera satisfactoria exhibeant. (Gobat, t. 1. tr. 3. n. 154 ; Lehmk. II. n. 181)

**VIII.** Per se nihil obstat quominus **varii fructus diversis** applicentur, puta satisfactorius animae purgatorii, impetratorius aegroto sanando. Attamen stipendium danti semper applicandus est totus fructus specialis : siquidem mens illius supponenda est ut Missa ipsis prosit quantum potest. Idem obtinet, etiamsi stipendium tribuens tantum postulavit ut in gratiarum actionem de aliquo beneficio celebraretur. Per se tamen,

ut celebretur in gratiarum actionem, non requiritur ut Sacrum applicetur illi cui beneficium concessum est : siquidem gratiarum actio non tendit ex se in commodum agentis gratias, sed in honorem benefactoris. Quare, ubi celebratur ad certam intentionem ex fidelitate vel oboedientia, probabiliter licet aliis intentionibus applicare fructus qui non tendunt directe in finem praescriptum, puta imperatorum, vel satisfactorium, quando celebrandum est in gratiarum actionem. Idem tamen non videtur dicendum de fructu imperatorio, quando pro defuncto celebrandum est : nam et iste fructus directe tendit ad finem praescriptum, ut modo dictum est. (Lugo, disp. 19. n. 193; Struggl, tr. 10. q. 2. n. 66 seqq.)

## CAPUT II.

## DE OBLIGATIONE CELEBRANDI.

**223.** Multiplici ex capite oriri potest in sacerdote obligatio celebrandi, vel simpliciter, vel ad intentionem determinatam. Singillatim agemus de obligationibus ortis ex ordine sacerdotali, animarum cura et Missarum stipendio : in his enim plura dubia et difficultia sunt. Potest oriri insuper eadem obligatio :

1º E beneficio simplici seu capellania. Regulariter capellanus Missas fundatione assignatas ad intentionem fundatoris applicare debet; quandoque tamen eas cuilibet, stipendio praeter redditus beneficii accepto, applicare potest, saltem si expresse fundator statuit hanc ipsi libertatem manere. (Bened. XIV, Inst. 56; Ball. P. n. 262) Plures quaestiones huc spectantes omittemus, utpote in regionibus nostris minus practicas.

2º E lege ecclesiastica. Ita Bened. XIV (Constit. *Cum semper alia*, 10 Aug. 1754) edixit "ut Missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum (Cathedralium, Collegiarum et Conventualium) ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus cotidie applicetur. "

3º E praecerto Superioris. Ita sacerdotes saeculares, curam animarum non gerentes, cogi possunt ab episcopo ut, dato stipendio, celebrent ubi Missae celebranda a sacerdotibus curae animarum addictis non sufficient ut populus praecerto Missae audienda satisficiat : nam ex ipsa ordinatione, saltem remote, necessitatibus spiritualibus fidelium addicuntur. Cfr. Bened. XIV, Const. *Declarasti*, 16 Mart. 1746. Quanta sit potestas Superiorum Regularium in praecienda Missae celebratione vel applicatione, e singulorum Ordinum Constitutionibus probatisque consuetudinibus definiendum est.

## § 1. DE OBLIGATIONE ORTA EX ORDINE SACERDOTALI.

**224.** Communior sententia, cum S. Th. (3. q. 82. a. 10) et S. Alph. (l. 6. n. 363), tenet gravem obligationem quandoque celebrandi, oriri e sola ratione sacerdotii suscepti; eidem tamen satisficeri si ter quaterve in anno diebus sat distantibus celebretur. Sed probabilis quoque est sententia contraria : sacerdotem praecise ex ordinatione sua non teneri, saltem sub gravi, ad celebrandum. Ita S. Bonav. (disp. 12. p. 2. a. 2. q. 1), et probabilem censem Lugo (disp. 20. n. 2 seqq.), Ball. P. (n. 243), etc. Hi tamen fatentur plerumque ob rationem extrinsecam, nempe scandali, graviter peccare sacerdotes qui per integrum annum a celebrando abstinent ; nisi enim causa excusans manifesta esset, puta nimia scrupulosity, id facile redundaret in grave ordinis sacerdotalis vel christiana religionis dedecus. Subjiciemus rationes sententiae communioris una cum difficultatibus quas contra eas movent adversarii : unde patebit nulum argumentum certum afferri.

1º Arguunt e verbis Christi : *Hoc facite in meam commemorationem*, e quibus deducunt obligationem una cum potestate celebrandi in sacerdotibus oriri. — Sed certe non tam late patet obligatio quam potestas : secus esset cotidie celebrandum. Praecepto illi satisficeri videtur dummodo inter sacerdotes christianos aliqui sacrificium Missae jugiter offerant, juxta determinationem ab Ecclesia faciendam.

2º Idem probant ex officio sacerdotis, cuius munus est sacrificium pro populo offerre (Hebr. V, 1) : quare (aiunt) graviter peccat sacerdos non celebrando, sicut rex non regendo, et similia. — Verum e potestate collata male arguitur ad obligationem ea utendi, secluso speciali contractu vel aliorum indigentia. Ita nemo gravis culpae arguit sacerdotem qui numquam confessiones audit, si ejus opera non est necessaria.

3º Afferuntur verba Trid. (Sess. 23. c. 14. de ref.) : "Curet episcopus ut ii (presbyteri) saltem diebus Dominicis et festis sollemnibus... celebrent. " — Haec tamen verba directe ad episcopos spectant; presbyteris imponunt tantum obligationem parendi episcopo, qui hujusmodi decretum tulerit. Neque solet, in nostris regionibus, tale statutum ferri.

Omnium consensu, nulla lege divina aut ecclesiastica jubentur singuli sacerdotes singulis diebus celebrare. Attamen, ubi celebrationem omittunt, nulla rationabili causa ducti, saepe committent veniale peccatum, non quidem per se, sed ratione motivi minus recti quo ducuntur in omitenda actione qua facile summam gloriam Deo et ingentem Ecclesiae utilitatem procurare valeant. Sed, ubi motivo rationabili ducuntur, puta majoris preparationis adhibendae, humilitatis, incommodi, etc. abstinentia illa non modo omni culpa vacare, sed laudabilis esse potest, ut patet